

- Muri Pannonico¹ vix equus² corpore toto,
 10 Qui non tam muri quam similis lepori.
 Albicolor nigris faciem gemmabat ocellis'.
 'Unde genus?' 'Mater Fresia, Freso pater'.
 'Quę vires?' 'Parvē satis illo corpore dignę,
 Ingentes animi robore dissimili'.
 15 'Quid fuit officium? Numquid fuit utile vel non?'
 'Ut parvum³ magnus diligeret dominus.
 Hoc fuit officium domino praeludere tantum'.
 'Quae fuit utilitas?' 'Non nisi risus erat.
 Nullus eum stantem, nullus non risit euntem'⁴
 20
 Difficilis facilis, sevis modo nec mora⁵ mitis
 Audax magnanimus, mox piger et pavidus;
 Exiguo magnum morsu qui leserat ursum,
 Exigui muris pertimuit strepitum.
 25 Credo Vertumnis⁶ quotquot sunt natus iniquis
 Par fuerat nulli, dispar et ipse sibi.
 Qualis eras, dilecte canis, ridende dolende,
 Risus eras vivens, mortuus ecce dolor.
 Quisquis te vidit, quisquis⁷ te novit, amavit
 30 Et dolet exicio nunc, miserande⁸, tuo.
 Forsan corvino posuisti membra sepulchro
 Inmeritus certe vermibus esca fore.
 Care canis, plangende nimis, te nostra poesis
 Deficit in titulo, namque cares tumulo.
 35 Non tamen inde reus tuus in te Theodericus⁹,
 Non fueram presens, cum moriturus eras.
 Sed quid obest laudi functorum, non tumulari?
 Tot tantique viri mole carent tumuli.
 En Cato vir celebris, famam qui terminat astris,
 40 Dicitur exilem non meruisse scrobem.
 Et domitor mundi, mundo metuendus ab omni
 Pompeius¹⁰ parvo conditus est loculo;
 Thesalia cęsus sanctissimus ille senatus
 Vulturis¹¹ esca fuit: quid¹² meritis nocuit?
 45 Virtus non bustis includitur atque sepulchris,
 Sed convexa poli replet et ampla soli.

1) 'no' nachgetragen Hs. 2) ein 'u' übergeschrieben Hs.
 3) 'r' nachgetragen Hs. 4) Der Vers ist von m am Rande hinzugefügt
 worden; der Pentameter fehlt. 5) 'fuit' durch übergeschriebenes 'mora'
 ersetzt Hs.; vielleicht ist 'sed modo amicus' zu schreiben. 6) aus
 'Vertumnus' korr. Hs. — Der Vers ist Horat. sat. 2, 7, 14. 7) 'quis' Hs.
 8) 'r' übergeschrieben m. 9) 'de' nachgetragen m. 10) 'Ponpeius' Hs.
 11) 'Wlturis' Hs. 12) 'Qid' Hs.